

1.54.6

*Imp. Arcadius et Honorius AA. Messalae pp.*

Eos, qui ordinario provincias iure moderantur, erga eorum personas, quos culpa reddit obnoxios, ultra duarum unciarum auri multam condemnare non patimur.

1 ¶ Proconsularem vero potestatem, si multandi necessitas imminet, senarum unciarum auri summa cohibebit: in qua forma etiam comes Orientis atque praefectus Augustalis erit.

2 ¶ Ceteri vero spectabiles iudices et qui vice vestra administrationis gubernacula susceperunt, ultra tres auri uncias sibi intellegant licentiam denegandam.

3 ¶ Id quoque observandum a moderatore esse censemus, ut in unius correptione personae, si ad id continuatio peccati impulerit, trinae tantum in annum condemnationis sub praestituta summa severitas exseratur.

4 ¶ Quod si quis praedictum modum excesserit, huius auctor admissi condemnato ad dupli restitutionem, fisco vero nostro ad inferendam eam quantitatem, quam multae nomine inflixerit, retinebitur.

5 ¶ Nec tamen ad huiusmodi legis moderationem pertinere se credant, qui in peculatibus aut manubiis, id est. depraedationibus concussionibus furtis atque aliis flagitiis, quae coerceri severius convenit, fuerint deprehensi, scilicet ut scripta per iudices memoratos, in cuiuslibet fuerit dirigenda dispendium, sententia proferatur.

6 ¶ Nec putent factu facile esse, ut aut praecipiti persuasione condemnent quem culpa non ingravat, aut erubescenda varietate iudicii pro arbitrio proprio immutandum esse quod lex iusserit, nisi paupertas condemnati hoc persuaserit.

*D. XII k. Sept. Theodoro cons.*

[a. 399]